GRAVISSIMO SAPIENTUM
AREOPAGO.

SAPIENTISSIMO SCIENTIARUM
MUSÆO.

SENATUI OPTIMO.

CONSESSUI MAXIMO.

ARCHETYPO ECCLESIARUM
HISPANIÆ.

PROTOTYPO RELIGIONIS IBERIÆ
ILLUSTRISSIMO VIRORUM COETUI.

QUORUM HONORES, QUORUM NOMINA, quorum laudes, potiori ſenſu, quò cecinit olim Poeta, ſemper, ſemperque manebunt: quorum Virtus (quæ maxima eſt) ſepulchri expers, ipſa ſuper aſtra conſcendit, ut ſacrè decantetur: *Tu ſemper ad aſtra tolleris*; & prophanè: *Numquam Stygias fertur ad umbras inclyta virtus.*

RELIGIONIS CELEBERRIMO OLYMPO, CUYUS MAGNITUDINEM UTERQUE SOL non ſolùm deaurat, verumetiam adorat; de quo meritò illud Vatis canorum:

EC-

Emathio celſum duplicabat vertice olympum.

ECCLESIÆ MILITANTI
A R C I,
ET TOTIUS PACIS ARCO:

CUJUS ROBUR , TURRIS ; CUJUS ARMA Lilia: Turris, quæ ad inſtar Davidica , *propugnaculis edificata , mille clypei pendent ex ea : omnis armatura Fortium :: ſexaginta* , quamvis non tenentes gladios; attamen (pro Eccleſia) *omnes ad bella* (pro Fide) *doctiſsimi.* Lilia, de quibus cum D. Bernardo ; *eminentia in Floribus terræ :* & cum Plinio : *Nulli Florum excelſitas major.* Inſignia ſigna, quæ ipſemet Sapiens ſuper ſuarum capita columnarum poſuit, & propoſuit. Fortaſsè de hac noſtra Hiſpalenſi Eccleſia myſticè ajebat Sponſus: *Sicut Lilium inter ſpinas , ſic amica mea inter filias.*

* * *

MILLIES ILLUSTRI,
MILLIES CELEBRI,
AC MILLIES INCLYTO

D.

D.D.DECANO,

ET CAPITULO,

ALMÆ HISPALENSIS METROPOLITANÆ, & Patriarchalis Ecclesiæ, unde tot clarissimi Heroes, tot laureati Doctores, tot generosi Magnates, tot Proceres, tot Præsules, ut in illorum enarratione Arithmetica insudet.

TANTO ERGO MOECENATI, ATQUE ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, MAGNOQUE *Minorum* PROTECTORI,

BOETICA PROVINCIA

PP. CLERICORUM REG. MINORUM pro Comitiis Provincialibus celebrandis congregata, hæc Theologica Asserta majori, qua valet gratitudine D. O. S.

* * *

I. *ASSERTUM EX SACRA SCRIPTURA.*

S*Icut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud*: ait Sacra Pagin. cap. 21. Proverb. Et Apostolus ad Ephesios cap. 1. *In quo etiam, & nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Similiter 1. ad Corinth. cap. 4. ait: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* In Esther etiam cap. 13. legitur: *Non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.* Et in Daniel. cap. 4. *Omnes habitatores terræ apud eum in nihilo reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tám in virtutibus Cæli, quám in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei; quare fecisti?* Denique apud Isaiam cap. 14. *Juravit Dominus exercituum, dicens: si non, ut putavi, ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet ::: Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta; & quis avertet eam?* Omissis enim pœnè infinitis aliis testimoniis, ne prolixum opus faciamus, hæc selecta offerimus, in quibus satis perspicuè explicari gratiam *per se, & ab intrinseco efficacem* prevenientem opera nostra bona affirmamus, & propugnamus.

II.

II. *ASSERTUM EX SACRO CONCILIO Tridentino.*

SI quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut opportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit. Sic enim Sacroſanctum Concil. Trident. Seſ. 6. Canon. 3. canit: quibus conſonant ſimilia verba ejuſdem ſeſsionis cap. 5. *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata â Deo averſi erant, per ejuſdem excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & coperando diſponantur.* Similiter Can. 6. ait: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera, ita ut bona Deum operari non permiſsivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe; adeo ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli anathema ſit.* Quibus in locis prædictum Sacroſanct. Concil. ſtare pro noſtra phyſica prædeſtinatione, & gratia *per ſe ab intrinſeco efficaci, deffendimus.* Similiter hanc gratiam optimè cohærere cum Canon. 4. ejuſdem ſeſſ. 6. conſtanter propugnamus.

III. ASSERTUM EX MAGN. PAR. AUGUSTINO.

QUis autem non videat mulco majus esse indignationem à contrario in lenitatem convertere, atque transforre, quam cor neutra affectione praeocupatum, sed inter utramque medium, in aliquid declinare? Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina, insonante forinsecus, sed interna, & oculta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates. Hæc Magn. Parens Augusſt. cap. 29. de gratia Chriſti. Et de gratia, & libero arbitrio ait cap. 5. *Ut autem de Cælo vocaretur Paulus, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et cap. 16. *Ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et de correptione, & gratia, cap. 13. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia insuperabiliter, & indeclinabiliter ageretur.* Demum Epiſt. 217. alias 107. ad Vitalem num. 5. *Deus est qui operatur in nobis & velle, & multa hujusmodi, quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundùm merita nostra datur, sed dat merita ipsa, cum datur, quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit.* Quippe innumerabilia ſunt Auguſtini teſtimonia eructantia gratiam *per se*, & *ab intrinseco efficacem*; ſed brenitatis cauſa in aſsignatis explicari, deffendimus.

IV.

IV. *ASSERTUM EX NOSTRO ANGELICO Doct. D. Thoma.*

OPportet, quod ad benevolendum, & operandum homo divino præveniatur auxilio: ſicut conſuetum eſt, quod effectus aliquis non tribuatur, operanti proximo, ſed primo moventi ::: non ergo per hujuſmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, ſicut quidam malè intellexerunt, quaſi homo non ſit dominus ſuorum actuum interiorum, ſed oſtenditur Deo eſſe ſubjectum. Hæc D. Thomas 3. contra Gent. cap. 149, num. 5. Et cap. 88. *Solus igitar Deus poteſt movere voluntatem per modum agentis abſque violentia.* Similiter quæſt. 3. de potentia art. 7. loquens de multiplici modo, quo Deus operatur in natura, & voluntate, hæc habet: *Tertio modo in quantum movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis activæ, ſed aplicatio virtutis ad actionem.* In quibus locis apperte tradere prædeterminationem phyſicam, & gratiam *per ſe, & ab intrinſeco efficacem*, pro viribus deffendimus. Et quamvis ſupponamus hanc ſententiam ut propriam D. Thomæ, olim à graviſsimis DD. Jeſuitis judicari; quia tamen nonnulli volunt fuiſſe ab ipſo retractatam prim. part. quæſt. 105. art. 5. ideo in tali loco prædictam prædeterminationem non retractaſe, ſed tradidiſe, deffendimus. Et Cajetanum numquam oppoſitum ſenſiſe, propugnamus. Prædicta ergo prædeterminatio hoc no-

nomine à D. Thoma in cap. 5. Dionysii de divinis nominibus, omissis pro nunc aliis, traditur; illamque conciliari cum libertate à D. Thoma quæst. 6. de malo art. unico deffenditur.

Omnia hæc Asserta publico vespertino certamine propugnantur in hac Domo PP. Cleric. Regul. Minorum Spiritui Sancto Sacra à P. JOSEPH SANTIAGO, sub tutamine P. ANTONII RODRIGUEZ, in Collegio Malacitano Studiorum Regentis, ac Provinciæ Visitatoris. Die 14. Septemb. anni Dñi. 1759.

HISPALI: Ex Typographia Universitatis,
in via Genuensi.